

pende conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel opere cuiquam vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba conviciis, et percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evelere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea et temulentia difflebas? Jejunio et aquæ potu utrumque compensa, ut detrimentum, quod inde accepisti, auferas. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? Feminam jam omnino non videas, majore tactus cautione post vulnera. » Egregiam hujus fructus speciem edidit David, quando aquam ex cisterna Bethlehem tam desideratam, sibi que demum magna difficultate allatam, non bibit, sed effudit et libavit Domino, H. Regum XXIII. Cujus rei rationem exponit D. Gregorius, in registro, lib. IX. epist. XXXIX. « David, inquit, qui alienam uxorem tulerat, et pro sua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe post de Bethlehemitica cisterna voluit; quam cum ei fortissimi milites attulissent, eam effundendo Domino libavit. Licebat enim bibere, si voluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter abstinebat; et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum, si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse judicavit. » Neque hoc solum præstitit, sed etiam, quia suo peccato aliquos scandalizarat, seu (ut II. Regum XII. dicitur) *blasphemare nomen Dei* fecerat, laboravit, ut verbo et exemplo scandalum illud tolleret, et seductos reduceret; ideo enim in Psalmo L. pœnitentiæ ait: *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Quod etiam fecisse ejus filium Salomonem, aliqui existimant; qui in signum pœnitentiæ scriptum ab eo Ecclesiasten volunt, ad erudiendos eos, qui forte ipsius exemplo malo perversi fuerant. Ita correxerunt errores suos sequente pœnitentiæ Sanctus Marcellinus papa, sistendo se supplicem Concilio, postea tribunali imperatoris, ante quem negarat fidem ex timore: et in primis Sanctus Petrus, qui trinam suam negationem emendavit trina confessione: *Domine tu scis, quia amo te.* Ita qui pro publicis suis peccatis publicas egere pœnitentiæ, uti Theodosius senior imperator, ob cædem Thessalonicensium; Henricus II. Angliæ rex, ob cædem Sancti Thomæ Cantuarien. episcopi; Otho imperator junior, ob cædem Crescentii senatoris, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana urbe, sic usque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexit ecclesiam. Per totam etiam quadragesimam in Cassensi monasterio

B. Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit ubi jejunio et psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, ipse in storea, de papyris confecta, tenera delicati corporis membra terebat. Promisit denique B. Romualdo, quod imperium relinquens, monasticum susciperet habitum; et cui innumerati mortales erant obnoxii, jam ipse pauperculo fratri cœpit esse subjectus, uti refert beatus Petrus Damiani, in vita S. Romualdi. His adjiciamus Philippum comitem Namurcensem, de quo ita scribit Cæsarius, l. II. hist. et mirac. c. XVIII. « Ante hoc triennium defunctus est Philippus comes Namurcensis, vir potens et nobilis filius Balduwini comitis Flandriæ: antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, ut talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus: quatuor abbatibus ordinis nostri simul et sæpe confessionem suam facere consuevit, in tantum se accusans, tantum plangens, ut omnes ad lacrymas provocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo injiceret, rogaretque confessores suos, ut se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis. Filias fratris sui Balduwini comitis, qui factus fuerat rex Græciæ, tradiderat regi Franciæ, cujus filiam duxerat uxorem, quidam dixerunt, quia venderit eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum civitatis suæ, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem prius Dominus tantam ei remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tamquam dilectum confessorem: sepultus in ecclesia S. Albani martyris, in qua ipse instituerat conventum canonicorum, de suis justis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis usque hodiæ signis coruscet, ut de remotis regionibus infirmi advenientes, ad ejus tumbam sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulcrum effodientes, secum pro benedictione deportent. » Taceo alios quam plurimos. Unum id addo, nisi istiusmodi fructus sequantur pœnitentiæ, suspectam eam videri, ne falsa et ficta sit: Si enim vivit arbor, cur non producit fructus? Si vere sanatus est paralyticus, cur non e lecto surgit et ambulabat? « Quid prodest (inquit ven. Beda in verba Isaïæ: *Lavimini mundi estote*), spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes eum, et seres in eo semen, unde gaudeas in futuro? Ita et qui deserit peccata, et ea non plangit pœnitendo, nec bonum postea facere consuescit, numquid fructuosum est peccata deserere, et bona non face-

re? » E contra: « Tribunal judicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, digna eum modo placare pœnitentiæ contendit, » inquit S. Gregorius Magnus, in ep. ad Andream episcopum Tarentinum.

CONCIO IV.

DEUM OMNIPRESENTEM PRÆ OCULIS SEMPER HABENDUM.

I. Quia etiam Deus semper nos contemplatur. — II. Quia nos aspiciet testis, censor et judex. — III. Quia ejus bonitate fruimur continuo. — IV. Quia etiam hominum oculos reveremur in nostris actionibus. — V. Quia sine eo fræno in omnia scelera facile ruimus.

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum. Matthæi IX.

Duplicem audimus fructum, quem in turba fecit Christus per hodiernum miraculum: *Timuerunt* enim; ecce primus: *Et glorificaverunt Deum*; ecce secundus. Et quidem jure merito glorificaverunt Deum, qui Filium suum Jesum tanto miraculo glorificarat, et mundo demonstrarat, simulque misero paralytico integram sanitatem restituerat. Sed quamobrem timuerunt? Quia nimirum Christus non solum sanavit paralyticum, sed etiam circumstantes Scribas ab errore revocavit. Viderunt enim illi cogitationes suas pessimas, quibus Christum judicabant blasphemum, ipsi perspectas, seque in iis deprehensos esse, et hinc merito timuerunt. Quis enim in occulto peccans, non metuit inspectorem? Hinc Samaritana illa, cum peccata sua Christo nota esse audit, relicta hydria fugit, Joannis IV. Atque hoc est, auditores, quod etiam nobis omnibus jure meritissimo timorem incutere debet, quod nimirum sciamus Deum omnipresentem, conscium et inspectorem esse nostrarum actionum. Quam ob causam sacræ litteræ toties nos monent, ut Deum cardiognosten præ oculis semper habeamus, uti Genesis XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus*: et Deuteronomii VIII. *Recorderis Domini Dei tui*: et Proverbiorum III. *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*: idem commendavit Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*, Tob. IV. Id ipsum pii majores nostri filiis suis inculcabant et inculcant hodie Germana vulgatissima voce. Inculcant, inquam, ss. litteræ et parentes: sed tamen, heu dolor! tam salutare documentum vix ulli persua-

dent. Si enim persuaderent, nemo facile peccaret Peccandi autem nec finis est nec modus. Quic igitur nos? Producamus argumenta, quæ nobis id persuadeant.

I. Quia ipse Deus etiam semper nos contemplatur singulari quadam ratione, et numerat omnes gressus nostros, ut mores componat. Ita enim David ait Psalmo XXXI. *Intellectum ab dabo, et instruum te in via hac, qua gradieris* Quænam hæc instructio, Domine? *Firmabo super te oculos meos*, hoc est, fixo firmoque oculo te semper aspiciam. Et quid vis tibi hoc tam curioso aspectu? Hoc nimirum: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In camo et fræno maxillas eorum constringe.* Est ergo Dei oculus doctrina nostra et frænum, ne exorbitemus, sed in via mandatorum Dei jugiter ambulemus, adeoque velut homines, non ut pecora vivamus. Non enim ita nos intuetur, sicut pecora aut creaturas alias; sed sicut pater filium, sicut magister discipulum, vel sicut testudines quædam maximæ, ova sua quæ solo aspectu fovent, Plinio auct. libro IX. capite X. et struthiones, secundum Cælium, libro X. cap. V. Suo enim continuo aspectu Deus continere nos in officio vult, fovere et perficere, juxta id Gen. XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus.* Decet proinde ut nos quoque ad ipsum aspiciamus, et firmemus in Deum oculos nostros, ejusque memoriam non depouamus saltem diu, qui nostri nunquam obliviscitur. Ita enim S. Augustinus, in prædicta psalmi verba ait: *Non a te auferam oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos.* Quis enim pauper, cum a divite benigne aspiciatur, non vicissim in eum respicit, ut subsidium aliquod paupertatis suæ ab eo accipiat? Jam vero: *In omni loco contemplantur oculi Domini bonos et malos*, ait Sapiens, Prov. XV. Si nobis de cælo loqueretur Deus, utique ad vocem ejus aures arrigeremus. Jam vero dum nos adeo impense contemplatur, nutu oculorum suorum nobis quasi loquitur, ut ad ipsum attendamus. Ita Christus respexit Petrum in domo Caiphæ, et nutu oculorum insinuavit ei lapsum suum, persuasitque pœnitentiæ, quasi diceret: Ecce ego pro te judicor et ducor ad mortem, et tu mei oblivisceris, meque notum tibi esse inficiaris! Hoc plane argumento utitur etiam sponsus, cum sui jugem memoriam requirit a sponsa, Cant. c. VIII. dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. semper mei sis memor, ut exponit Beda, S. Bern. serm. XV. in Cant. et alii. Signaculum enim, seu sigillum, continet in se imaginem sibi incisam prius, quam ceræ imprimatur. Ubi impressum est, ce-

ram sibi similem reddit. Ait itaque sponsus se in mente sua, jamdudum habere impressam nostri imaginem, et memoriam cupere tantum, ut nos vicissim ipsius memoriam imprimamus et cordi et brachio nostro, h. e. tam cogitationibus quam operibus, seu internis et externis actionibus. Quæ sane petitio æquissima est: *Quid enim est homo, quod memor es ejus?* ait David. Miratur hanc gratiam Daniel innocentissimus in lacu leonum, accepta a Deo per prophetam esca: *Recordatus es mei Deus!* q. d. quanta hæc dignatio, ut Dominus cæli et terræ mei abjectissimi vermiculi memor sit! Dan. ult. Deus igitur absque ulla cessatione memor nostri est: et nos memores Dei non erimus?

II. Quia nos contemplatur non solum ut speculator, sed etiam ut testis, censor et iudex; suo tempore facta nostra, pro merito cujusque, remuneraturus aut puniturus. Ita enim Sap. I. dicitur: *Renum illius (maledici) testis est Deus: et Ierem. XXIX. Ego sum iudex et testis, dicit Dominus.* In humanis non permittitur ut idem sit testis et iudex, quia non daretur reo locus defensionis ac remissionis contra iniquum iudicem. At vero Deus idem et testis et iudex est: nemo igitur reus contra eum se defendere aut sperare remissionem potest. Non eodem modo sustinemus oculos superiorum nostrorum, et eorum quibus subjecti non sumus. Hos enim parum aut nihil curamus, illos vero multo maxime. Patet in severis parentibus, dominis et magistratibus, quorum liberi, servi et subditi sæpe sæpius respectant, num ab illis videantur, utpote pœnas daturi, si deliquerint. Ita legimus, Gen. XXI. Laban, inito fœdere cum genero suo Jacob, ne affligeret aliquando filias ejus, erexisse tumulum et appellasse *tumulum testis*, Dei videlicet, quem solum in testem vocabat, dicens: *Si affeceris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.* Quomodo nullus testis? Nonne servi utriusque, et Labani et Jacobi aderant huic fœderi? Ita quidem: sed nimirum Laban nullum alium testem admodum curabat aut a genero curandum existimabat, præter Deum, qui simul testis est et iudex; unde addidit: *Intueatur et iudicet Dominus, q. d. sit testis et iudex, Hebræa addunt: Et specula.* Appellavit ergo tumulum illum *tumulum testem* et *speculam*; alludens ad speculas, quæ eriguntur in vineis, ut inde speculatores observent prædones vinearum (qui dum prædantur, imprimunt speciem suam oculis speculatorum) et insequantur ac corripiant. Huiusmodi: *Speculator adstat desuper Deus, qui nos diebus omnibus actusque nostros prospicit:* ac si

quid delinquamus, quasi specie impressa inscribimus oculo ejus, ut suo tempore iudicet. Magna hinc existit causa attendendi nobis, ut qui scimus oculo Dei inscribi omnia gesta nostra. Bestiæ aliquæ attendunt ut oblitterent gressus suos, ne a venatoribus deprehendantur: leones cauda delent vestigia sua: lepores variis saltibus sua turbant ante cubilia: ursi, averso corpore, in sua ingrediuntur: quid faciat homo, qui vestigia sua post se relinquit ubique, imo imprimit et inscribit oculo Dei? Quid agat, nisi ut Dei oculum semper observet, ac proinde caveat eum offendere, si quidem vestigia sua delere non potest? Stulte hac in re laborarunt gentiles aliqui, teste D. Cyrillo Hierosol. catech. IV. nam: *Alii quidem solem ponebant Deum, ut occidente sole, noctis tempore sine Deo essent; alii vero lunam, ut in die Deum non haberent.* Sed frustra erant: Dei oculus nunquam occidit. Unde August. serm. XLVI. de verb. Dom. « Ipse, ait, timendus est in publico, ipse in publico, ipse in secreto. Procedis? Vide ris. Lucerna ardei? Videt te. In cubile intras? Videt te. » In vita S. Lutgardis scribit historiolum. « Admiserat quidam peccatum loco abditissimo, atque id sacerdoti revelare verebatur. Non diu post quidam sub peregrini specie rogabat illum, ut pro obtinenda venia peccati illius, quod præcipue ipsum angeret, sibi caput lavaret. Fecit ille, ut erat rogatus; et ecce in vertice illius oculum cernit lucidissimum, exclamatque: O hominem contra naturæ morem in vertice oculatum! Dixit autem peregrinus: Hic oculus te in abscondito peccantem vidit, quem nulla possunt scelera latere. His dictis ab oculis admirantis evanuit. » Bene S. August. in soliloq. « Ad quod tendo eum operor, quidquid cogito, in quocumque delector, tu vides, oculi tui vident et considerant, signas, attendis, notas, scribis in libro tuo sive bonum, sive malum. »

III. Quia ejus bonitate, liberalitate et misericordia fruimur continuo. Unde Psal. CXXII. dicitur: *Ecce sicut oculi servorum in manibus domini suorum, sicut oculi ancillæ in manibus domine suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Quia enim servi et ancillæ expectant ab heris victum, amictum, auxilium, præsidium, mercedem; hinc ad eorum nutus et imperia jugiter aspiciunt, et mores suos componunt. Quin et catelli, qui ab heris suis victum præstolantur, ad eos perpetuo spectant. Cynocephalus, quia vires suas a luna recipere creditur, crebro eam aspiciere, et quasi adorare dicitur. Denique, magnes etiam ad polarem stellam pertinacissime se convertit respicitque; quia, ut videtur, ab ea vigorem suum accipit. Jam vero

nos nonne toti quanti a Deo dependemus? Nonne ejus beneficiis omni momento fruimur? Unde enim nobis vita, respiratio, victus, vestitus, præsidium, pax, securitas, sanitas, opes, honores, commoda omnia, nisi a Deo? Bene igitur S. Gregorius Nazianzenus, orat. I. de theolog. dixit: *Non tam sæpe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus; imo si hoc dici potest, aliud nihil quam hoc faciendum:* sicut enim ad refrigerandum cor, caloremque naturalem temperandum, perpetua egemus respiratione; ita ad restinguendum concupiscentiæ ardorem, qui vires animæ nostræ jugiter atterit et rodit, necnon ad fovendam vitam ac valetudinem nostram, continuo ad Deum recursum per orationem indigemus. Accedit S. Bernardus, qui in medit. e. VI. ait: « Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria: » et mox: « Illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus. Ipsum namque, ut essemus, habemus auctorem: ipsum etiam, ut sapiamus, debemus habere doctorem: et ut beati simus, suavitate largitorem. » Quis non videt mendicos magna intentione attollere oculos ad fenestras divitum, unde sibi panes et pecuniæ deiciuntur? Et unde nobis panes, pecuniæ, vestes omniaque alia, nisi a Deo, dante e cælo pluvias et solem, auram, ventos et quæ ex istis proveniunt bona? Neque enim puto fore aliquem tam stupidum aut ingratum, ut non Deo, sed sibi suæque industriæ aut fortunæ hæc talia adscribat. Nimis enim is cæcus foret, ac Dei iram non minus in se provocaret, quam provocavit Saul, quando, parta ab Amalec victoria: *Venit in Carmelum, et erexit sibi fornacem triumphalem*, I. Reg. XV. Sibi, inquit Lyranus, non Deo, quasi ipse victoriæ hujus auctor fuisset; cum potius Deus fuerit, qui tradidit in manus ejus Amalec. Qua re adeo offendit Deum, ut Samuel ei diceret: *Scidit Dominus regnum Israel e te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.* Porro triumphator in Israel non parcat, et pœnitentiæ non flectetur. Quod vero tantum scelus, quod Deus condonare non vult? Quia scilicet Deum triumphatorem præ oculis non habuit, ut ipsi gloriam daret et victoriam adscriberet, sed sibi potius fornacem triumphalem erigeret, id quod indicavit Samuel, dum Deum triumphatorem Israel appellat, q. d. non tibi, o Saul, sed Deo Israel fornix triumphalis erigendus erat, quia ipse triumphavit. Quod quidem fecit Moyses, cum et ipse prius Amalec cecidisset: ædificavit enim altare, et vocavit nomen

ejus: *Dominus exaltatio mea*, q. d. Dominus in hoc prælio victor et exaltator meus fuit, Exod. XVII. Jure igitur merito postulat a nobis Deus, ut sive ante sive post accepta beneficia in eum respiciamus, velut in datorem bonorum omnium; quomodo Petrus claudum sanaturus ad speciosam portam templi, prius ei dixit: *Respice in nos*, Actor. III. ut intelligeret quid et a quo accepturus esset, et beneficio gratum esse exhiberet.

IV. Quia solemus in actionibus nostris homines revereri et illorum oculos observare; quante igitur magis decet ut Deum præsentem revereamur? Et vero non mediocris esset hæc Deo injuria, si ipsius præsentiam minus æstimaremus, quam unius vilissimi hominis. Qua de re S. Anselmus: *Cum quid turpe facis, qui me spectant ruberes; cur spectante Deo, non magis ipse rubes?* Sanctus vero Chrysostomus, hom. XII. in epist. I. ad Cor. ait: « In sceleribus, Deo contempto, homines formidamus; et homine præsentem, nemo scortaretur: sed, licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia, pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat, non modo adulterantur, non modo scortantur, verum et alia longe graviora et ausi sunt et audent. Nonne hoc vel solum satis esset, quo cœlitus innumeris petamur fulminibus? Sed quid ego adulterium, quid fornicationem commemoro? Multo namque his minora in hominum conspectu facere formidamus, Dei autem minime. Hinc omnia orta sunt mala, quod scilicet in rebus turpibus non Deum sed homines timemus. » Videtur hoc errore laborasse in juvenili ætate Moyses, quando necem machinans Ægyptio: *Circumspexit huc atque illuc; at ubi nullum adesse vidit, percussum abscondit sabulo*, Exod. II. Ad quid enim circumspexit, si non male egit? Videtur inquam errasse, uti sensit Augustinus et quidam alii. Alii tamen excusant factum (uti insinuat Actor. VII.) et dicunt, vitandi scandali et seditionis causa, Moysen adhibuisse illam cautelam. Itaque typum saltem exhibet stultissimorum peccatorum, qui omnem adhibent diligentiam, ne peccare videantur ah hominibus; nihil vero pensi aut cogitationis habent, quod a Deo iudice videantur. Dictum aliquando Alexandro Magno fuit, Indum quemdam, sagitta arcu emissa, singulis ictibus medium annulum petere. Igitur accersitum rex jussit, ut se præsentem id ageret. Is autem adeo obstinatum, ne id ageret, se præbuit, ut iratus Alexander morte eum damnarit. Cum ad supplicium duceretur, interrogatus cur non sagittasset, vereri se, respondit, ne si coram rege aber-

rasset, peritiæ opinionem amitteret, Fulgos. l. VIII. c. XV. Ecce verentur homines in præsentia morituri regis, per errorem non culpabilem, perdere famam suam, et potius mori volunt; quis jam non omni supplicio dignos judicet eos, qui in conspectu Regis regum minime verentur deviare a præceptis ejus, et turpissimos quosque errores committere?

V. Quia sine eo fræno in omnium vitiorum barathrum facile devolvimur; illo vero adhibito vix errare, minus perire possumus. Quod est frænum equo petulanti, et anchora navi in pelago; hoc est practica cogitatio divinæ præsentiae. Sine fræno ferox equus quorsum ducet hominem, nisi ad lapsum et præcipitia? Sine anchora navis in tempestate quorsum nisi in scopulos et naufragia? Fræno equus, anchora navis compescitur. Aufer Dei præsentiam a conspectu hominum; quid erit? Illud nimirum quod Psal. X. dicitur: *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Denique, quod est ostiarius domui, hoc est consideratio divinæ præsentiae homini. Filium Saulis, nomine Isboseth, dormientem in lectulo suo sub meridiem, duo yiri Baana et Rechab, domum ejus ingressi, dum ostiaria obdormivisset, percusserunt in inguine et interfecerunt in lectulo suo, II. Reg. IV. Ostiaria obdormit, cum Dei timor oculos a præsentia divina claudit, interim ingrediuntur animæ hostes, et facile eam conficiunt, quasi in inguine, hoc est, in parte maxime lethali, ubi mox extinguitur. Contingit vero illi, qui mulierem ostio præposuit, mollem videlicet et debilem nimis custodiam, dum non firmiter ac fortiter Dei præsentiam menti impressit. Dormit misera anima, dum præsentiae divinæ oblita, in vitia se projicit et voluptates vetitas. Vere *Isboseth*, h. e. *vir confusionis*, quia in meridie indubitatae scientiae, qua noverat ex fide et tot aliis testimoniis Deum sibi peccanti adesse, nihilominus in peccata ruit et in illis obdormivit. Sic fere exponit S. Gregorius, l. I. moral. c. XXXVI. Hujusmodi *vir confusionis* factus est et Samson, quando in sinu mulieris clausit lumina sua et obdormivit. Tunc enim omne robur perdidit una cum capillo suo, ad resistendum Philisthæis; unde mox ligatus et in captivitatem abductus est ab eis; opprobrium factus non sui tantum, sed totius populi Hebræorum, Judic. XVI. Talis denique mulier *confusionis* facta fuit Theodora illa Alexandrina, matrona primum honestissima et castissima, procaecis adolescentis crebris muneribus frustra tentata. Quinetiam: *Erubesco*, dicebat, *vel ipsum solem tanti flagitii testem habere.* Quod quidem verbum una ex lenis, cum aliis

artibus, tum magica hanc in rem probe instructa excipiens: *Sed hoc*, inquit, *fiat post solis occasum, quo nec mortaliū quisquam, nec sol hujus rei testis sit.* Adhibuit deinde cuncta amoris formula; ac sensim inter verba pudicissima matronæ animum libidine inflammavit perpulitque, ut cæca mente in medias amoris flammæ sese præcipitem daret. Sed vix perpetrato facinore, cum abstersa caligine, splendor veritatis ad mentem rediret, acerrimo doloris sensu compuncta, cruciari animo, et amara admodum duci pœnitentia, fœditatis ignominiam, ad quam ex castitatis honore transisset, calido lacrymarum fonte deplorare, hæc et similia effari: « O me miseram, o me infelicem! Quis mihi tribuat, ut vel in inferno abscondas me, Domine, donec pertranseat furor tuus? O peccati fœtor, o deformitas, quæ ante tam speciosa, tam blanda apparebas! Quid faciam, quo me vertam? O brevis voluptas, quam acerbos tu mihi dolores uno momento peperisti!» Et talibus quidem lamentis peccati fœtorem et deformitatem Theodora abstergebat. Conjux autem causæ tantarum lacrymarum et mœroris ignarus, eam modis omnibus a tristitia et fletu, ad gaudium et hilaritatem revocare conabatur. Sed internus ille conscientiae vermis, nullo blandientis mundi gaudio foras elici, nulla hilaritate deleri poterat. Nam, licet illa epulas inter et falsa mundi gaudia lætitiæ vultu simularet, peccati tamen prurigo, pessimi instar ulceris, interiora assiduo depasebat, stimulabatque ut convenientem suo dolori medicinam mature exquireret. Nec jam facies assiduo fletu fœdata, mariti aspectum diutius sustinebat. Itaque virilem induens habitum, ad sacrarum feminarum cœnobium cucurrit; ubi mox afferri sibi evangeliorum librum petiit, ut inde certior fieret, an ipsius delictum Deo patuisset. Illum ergo quamprimum aperuit, in ea verba incidit: *Quod scripsi, scripsi*: e quibus statim collegit, peccatum in Dei libro inscriptum, adeoque ei perspectissimum esse. Quare sub ementito habitu perpetuæ se pœnitentiæ, et vilissimo monasterii cujusdam ministerio tota vita addixit, ita fere Lopil. et Surius, ex Metaphra. 41. sept.

CONCIO V.

CUR EXPEDIAT NOS INCERTOS ESSE DE GRATIA ET SALUTE NOSTRA.

I. Ne in procuranda salute nostra torpeamus. — II. Ut major fiat postea nostra exultatio de periculis superatis. — III. Ut merita nostra augeamus. — IV. Ne extollamur et præsumamus de nobis. — V. Ut securiores de salute nostra fiamus.

THEMA.

Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum. Matth. IX.

Prænobilis, pia et de salute sua sollicita quædam domina, nomine Gregoria, cubicularia imperatricis, petiit per epistolam a S. Gregorio Magno, ut certam sese redderet de remissione peccatorum, et quod in Dei gratia esset. Cui respondit sanctiss. pontifex (l. VI. epist. XXII.) Quod dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quousque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sint; et difficilem et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secunda de peccatis tuis fieri non debes; nisi cum in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Deinde, exemplo S. Pauli confirmat dicens: « Certe Paulus apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradysum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; et tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum et servituti subjecio, ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui jam ad cœlum ducitur: et jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? » Ita s. iste doctor, non solius Gregoriæ, sed nostrum etiam omnium compesceas desiderium; ne cupiamus scire quod non expedit nobis, an de gratia Dei et salute nostra certitudinem habeamus. Nihil enim in hac re securius, quam quod in hoc evangelio legimus de turba: *Timuerunt et glorificaverunt Deum.* Timeamus etiam nos, et ob hunc ipsum timorem nobis salutarem, glorificemus Deum; quod ut spero, facietis, auditores, si causas perciperitis, cur hanc certitudinem absconderit nobis Deus.

I. Primam hujus rei causam tangit S. Gregorius, in epistola præcitata, cum subdit: « Pende, dulcissima filia, quia mater negligentiae solet esse securitas: habere ergo in hac vita

non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir, qui semper est pavidus. » Cui consentit D. Augustinus, in l. de perseverant. c. VIII. cum ait: « Utile est omnibus vel pene omnibus, ut quales futuri sint, scire non possint; ut quisque dum nesciat an sit in bono perseveraturus, et humiliter et sollicitè Dei gratiam imploret, cum æque casum cavere et in gratia perseverare satagat. » Nimia securitas sæpe multos perdidit; uti imprimis Balthasarem cum tota aula et urbe sua Babylone. Erat enim Babylon imprimis urbs vastissima et frequentissima, ut propterea ab Isaia, cap. XIII. *¶ XI. Orbis terræ vocetur.* Erat in loco palustri habens muros altitudine ducentorum, latitudine quinquaginta cubitorum, ambitu 480. stadiorum, ut scribit Orosius, l. II. c. VI. Alluebat eam Euphrates, cujus latitudo est plusquam ad duo stadia, et profunditas tanta, ut nec duo viri alter super alterum stantes super aquam emineant, ut ait Xenophon, l. VII. Propugnatores erant innumeri. His omnibus Balthasar confisus sprevit hostilem Cyri exercitum, urbem obsidentem, et quasi inexpugnabilem instituit convivium suis magnatibus, et indulisit genio, ut ostenderet se Persas non timere nec curare. Interim tamen Cyrus rationem adinvenit flumen divertendi et in partes secandi, ut facile id tranaret et descendere muros posset. Sic occubuit Balthasar, et civitas capta est, dum in utramque aurem quasi invicta dormit, Dan. V. Ita si non omnibus, saltem plerisque contingeret, si nossent se in Dei gratia esse, darent sese otio, indulgerent quieti, vacarent suis commoditatibus, contra hostes non vigilarent, quasi inexpugnabiles forent: et hoc ipso præda hostibus fierent. Optime Tertull. l. II. contra Marcionem, cap. XIII. « Legimus, inquit, mali viam latam et multo frequentiore. Nonne omnes illaberentur, si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas creatoris, et vix a malo avellimur. Quid si nihil minaretur? » Sic ille.

II. Alteram tangit idem S. Gregorius, cum cit. epistolæ hoc adjecit: « Rursus scriptum est: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. In paucis ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet. » Optime Scriptura, Ps. II. tremori subnectit exultationem; quia quo majus præcessit periculum, v. g. in naufragio et prælio indeque natus timor, eo majus sequitur gaudium, cum evasum est periculum; id quod sequenti narratione declarari ex Justi Lipsii, monitis pollet. l. c. XII. n. XII. potest. Erat Eginhardus in